

Consulis,  
&c.  
Period.  
Bimemb.

nullam vereri discriminis aleam, suam suorumque salutem communi salute posteriorem ducere: nunc fidi conjugis & optimi parentis est, cum jam incensa Troja spem omnem ejusdem servandæ ademisse videatur, tutari tristes miseræ gentis reliquias, arcere ferrum & faces à suis Penatibus, totumque se ad præstandos conjugem & filium incolumes reservare.

## LIBER SECUNDUS.

### De Amplificatione Periodi.

Quoniam Liber iste secundus pertinet adhuc totus ad conformandam Elocutionem, quæ cum delectu ac compositione verborum, tum sententiarum gravitate maximè constat; non hic attingimus istud Amplificationis genus, quæ ex argumentorum varietate rebusque cæteris ad faciendam fidem accommodatis nata Orationi ipsi dilatandæ inservit. Sed spectamus solam Periodorum amplificationem, aut potiùs sententiarum ipsarum dilatationem, ex quibus Periodi conficiuntur. Nam cum sententia plerumque sit brevior, quàm ut ex ea Periodus informari commodè possit, hic breviter exponemus quibus modis dilatari illa debeat.

### CAPUT PRIMUM.

Quibus præcipue modis fiat Periodorum amplificatio.

Hic spectari potest vel Membrorum Periodi, vel Periodi ipsiusmet amplificatio.

Quomodo fit amplificatio Membrorum Periodi?

R. Fit illa vulgò adjectione Synonimarum vocum, nominum adjectivorum, Adverbiorum, vel sententiæ alicujus, quæ sit præcedentis ratio, aut explicatio.

Quot sunt amplificatione Periodi rationes?

R. Quatuor præcipue modis amplificari Periodus potest. 1. Per Definitionem. 2. Per Enumerationem partium. 3. Per Interpretationem. 4. Per Auxesim seu incrementum.

Primò igitur amplificabitur Periodus per Definitionem, quæ pro-

positæ rei naturam explicat; vel per interpretationem singularum vocum, subjectæ Orationis, & sententiæ. Exemplum istud esto. Sit Periodus conficienda ex hac brevi sententia. Rhetoricam oportet perdiscere. Rhetoricæ definitionem afferes. Nempe est Ars benè dicendi; deinde explicabis quid sit perdiscere Rhetoricam; nimirum legendò, scribendo, & audiendo illi operam dare; mox per Definitionem ita Periodum conficies.

Actus illa nobilissima, cujus est tradere præcepta benè ornatèque dicendi, non tantum est assiduè legenda in summorum Rhetorum monumentis, aut à Doctore perito audienda, sed etiam crebra scriptio & frequenti exercitatio perdiscenda.

Ita Tullius Oratione pro Milone n. 90. qui eum vocem illam Curiam, amplificationem haberet, ita dilatat per varias Curia definitiones. Vidimus templum sanctitatis, amplitudinis, mentis.

mentis, consilii publici; caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo Populo Romano concessam uni Ordini inflammari, excindi, funestari.

Sic in Pisonem n. 43. Postquam Naufragium, exilium, mortem, & cætera fortunæ tela negavit supplicii loco esse ducenda; delapsus ad Pisonis Gabiniique scelera, definit quid sit propriè supplicium; contenditque ipsorum furorem atque audaciam vera esse supplicia, quæ Deus ab illis exigat. Quæ est igitur pœna, quod supplicium? Id mea sententia quod accidere nemini potest, nisi nocenti. Suscepta frans, impedita & oppressa mens conscientia, bonorum omnium odium, nota iniusta à Senatu, amissa dignitatis.

Secundò per Enumerationem partium. Quando ejusdem rei & sententiæ partes variae recensentur. Ita Cicero pro Milone n. 20. cum per Ironiam hoc tantum haberet dicendum: Omnes lugent Clodium; ita vocem illam Omnes dilatat per Enumerationem partium. P. Clodii mortem a quo animo ferre nemo potest; luget Senatus, moeret Equester Ordo, tota Civitas confecta senio est, squallens Municipia, affliantur Colonia, agri denique ipsi, tam beneficium, tam salutarem, tam mansuetum Civem desiderant.

Sic in Pisonem n. 96. Ostendit illum fuisse omnium sententiis damnatum: & vocem illam Omnes ita dilatat per Enumerationem. Omnes memoriam Consulatus tui, mores, facta, &c. detestantur. Legati, qui una fuere, alienari: Tribuni militum, inimici, Centuriones, &c. qui ex tanto exercitu milites reliqui existunt, non dimissi abs te, sed dissipati, te oderunt, tibi pestem exoptant, execrantur, &c.

Et Orat. Post reditum, in Senatu

brevem hanc sententiam, mihi omnia bona reddidistis, ita per Enumerationem ampliat n. 1. Mihi fratrem optatissimum, me fratri amantiissimo, Liberis nostris Parentes, nobis Liberos, dignitatem, ordinem, fortunas, amplissimam Remp. patriam, qua nihil potest esse carius, denique nosmetipsos nobis reddidistis.

Tertius amplificatione Periodi modus per Interpretationem, sive Synonimiam, & verborum idem pœne significantium congeriem; cum id, quod semel uno verbo dictum est, idem aliis verbis ejusdem significationis, sed cum majore Emphasi dicitur. Nam cavendum imprimis in hac Synonimia, ut postremæ voces augeant priorum significationem. Ita Cicero Orat. Post reditum, in Senatu brevem hanc sententiam, Vestra in me beneficia explicari dicendo non possunt; ita per Interpretationem dilatat n. 1. Quæ tanta potest existere libertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus Orationis, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita non dicam complecti orando, sed percensere numerando?

Et Philippica 2. num. 68. Sententiam illam brevem, Tu Pompejæ domum ingredi ausus es? qua increpat Antonium, ita ampliat. Tu ingredi domum illam ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum adium Diis Penatibus os importunissimum ostendere? &c.

Quartus amplificatione Periodi modus per Auxesim seu Incrementum, cum per gradus crescit Oratio & ad summum pervenit. Ita Orat. in Verrem 3. n. 8. scelera Verri per Incrementum ampliat. Non enim furem, sed ereptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitia; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque: non sicarium, sed crude-

lem carnificem Civium sociorumque in vestrum iudicium adduximus.

Et pro Roscio Amer. n. 12. Eo prorumpere hominum cupiditatem & scelus & audaciam, ut non modo clam, sed etiam hoc in Foro, ante Tribunal tuum M. Fannii, ante pedes vestros, Iudices, inter ipsa subsellia cades futura sint.

Et Philip. 2. Antonii violentiam per Incrementum sic amplificat n. 63. Tantum vini in Hippia nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in conspectu Populi Romani vomere postridie. O rem non modo visu sœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam, in immanibus illis tuis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu verò Populi Rom. negotium publicum gerens, Magister Equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus gremium suum, & totum Tribunal implevit.

## EXERCITATIO.

Divi Ambrosii Mediolanensis Episcopi ad Theodosium Imperatorem Oratio, cum is post peractam Thessalonica cadem Templum ingredi voluisset.

## SYNOPSIS.

Exord. **P**er Apostrophem petet à Theodosio, quò pergat, & vocem illam, pergat, amplificabit per Interpretationem. Tunc sanctissimum illud limen ingredi audeas? quam sententiam ad exemplum Ciceronis Philip. 2. n. 68. pariter dilatabit subijciendo voces synonymas, quæ idem significant cum majore Emphasi.

Propositiō. Jubebit ipsum procul recedere sacris ab ædibus, nisi velit Templum Domini novo scelere polluere; & vocem illam, Templum, per definitiones varias amplificabit, ad exemplum Ciceronis pro Milone n. 90. ubi Curiam per definitiones varias amplificat.

Veniet ad Confutationem, quæ cæditantam elevabit. At enim occisus Tribunus;

violata Principis Majestas? &c. An debuit culpa illa tot Civium sanguine expiari? quid illi commiserant? & vocem, illi, amplificabit per Enumerationem ad Ciceronis exemplum qui pro Milone n. 20. vocem, Omnes, amplificat.

Conclusio. Per Incrementum ad exemplum Ciceronis Actione 2. in Verrem n. 8. Et tui te non pudet, sed in oleis, sed &c. Ah! respisce, &c.

## O R A T I O .

Quò pergis, Theodosi? quò tendis? quid mihi superbus incessus ille? quid fluctuantes oculi? quid cædem spirans ac sanguinem vultus minatur? Tu civium tuorum adhuc stillans cruore sanctissimum istud limen ingredi? tu verendos penetrare adiutus? tu metuendum inhabitantis ibi divini Numinis aspectum subire non pertimescas?

Procul hinc secede sanctis ab ædibus: non capiunt tanti flagitii reum tam religiosa penetralia: castissimus hic sanctissimorum virorum cœtus parricidas non admittit; nisi forte nova amens iracundia, novo inflamatus furore augustissimum supremæ Majestatis tabernaculum, domicilium sanctitatis, pietatis asyllum, afflictæ innocentia perfrugium, locum sacris mysteriis consecratum, cædit & sanguini per summum nefas destinasti?

Hanc igitur expectationem fecerant initia moderatissimi Principatus? Hanc te sævitiam sapere docuit illa Religio, quam ejurato falsorum Numinum cultu suscepisti; tam cruenti mores, tam barbari Christianum Imperatorem decebant? Atenim violata Principis Majestas? non est reveritus populus Ministrum Imperatoris? occisus turbas inter ac tumultus plebis militum Tribunus? Esto: an debuit paucorum scelus tot Civium sanguine expiari? an æquum fuit innocentes luere Perduelliam.

pæ-

pœnas? Nam quid commiserant tot expertes purique seditionis viri, quos occidisti? quid fecerant tot nobiles matronæ; quas immisericorditer interemisti? quod eluebant scelus tot pudicæ virgines, quas militum furori pariter ac libidini permisisti? Quid peccaverant tot pueri, tot infantes, quos è parentum complexibus, quos matrum ab ubere tortor ac parricida abstraxisti? Denique quid habebant cum seditionis quibusdam commune tot religiosi Sacerdotes, quibus ad sacra Templorum penetralia confugientibus, & aras amplexantibus non pepercisti?

Et tui te non pudet; & factum non doles? & admissi parricidii veniam supplex non petis? & iratum tibi, seque ad vindictam accingentem Deum non placas; sed inoleis, sed superbo tumido fastu triumphas, sed etiam intra sacratos recessus admitti postulas? Ah! respisce potiùs, si sapias, & devotum non brevis modò vitæ hujus ærumnis, sed sempiternis etiam suppliciis caput provide quamprimum ut subtrahas.

## ALIA EXERCITATIO.

Mosis ad Israelitas Oratio, cum illi longioris via laboribus deterriti reditum in Ægyptum cogitarent.

## SYNOPSIS.

Exord. **Q**uæret ab Israelitis quid cogitent, quid meditentur? &c. quod amplificabit per Interpretationem.

Propositiō. Petet quid tantum ipsis placeat in Ægypto? & per Definitiones varias dicet, quid sit Ægyptus: ærumnarum domicilium, &c.

Confirmatiō. Petetur 1. ab iis ærumnis quas passi sunt in Ægypto, quæ per Enumerationem amplificabuntur. 2. Ab illa Terra quam se daturum illis Deus promi-

serat; & Terra illa designabitur variis Definitionibus.

Conclusio. Per Auxesium. Quo igitur vos appellabo nomine? an demones, &c.

## O R A T I O .

Quid agitis, Israelitæ miseri? quò vos cœcitas immanis agit oblitos vestri Deique? Excutite torporem vestrum, & quæ vestris mentibus tenebras offundit, caliginem depellite: quid enim in Ægypto quæritis, quid consecramini? quid vobis tantum sapit in hoc tristissimo laborum, ærumnarum, luctus, lacrymarum domicilio? Quid infelix exilium placeat? quid perpetuæ servitutis habitaculum juvat libertati destinatos? Itane verò tam citò oblitus estis dolores vestros, nihil ut vobis injecerit infelicis illius soli, quod miserè deperitis, fastidium? Non labores quos exhanclastis? non procellæ quas perculistis? non pericula quæ subivistis? non calamitates, non miseriam, non Ægyptiorum odia, non furor, non verbera, & cætera malorum agmina, quibus jactati, conflictati, profligati estis, insanabile, quo flagratis, infortunatæ regionis desiderium extinguere potuerunt.

An ergo vestris excidit animis, Israelitæ, fortunatæ illius Terræ memoria, quam supremus rerum omnium arbiter, Deus ille, quem colitis, fideli populo destinavit? nihil vos movet beata illa quietis, pacis, gaudii lætitiæque mansio? nihil sapit tutissimum post tot exhaustas tempestates, & placidissimum, qui vos expectat, portus? non placet felix illa patria, quam fecundissima rerum omnium ubertate fluentem ac manantem esse didicistis.

Nam quò vos appellabo nomine, si spreto tam felicis avi domicilio, infelix malorum omnium receptaculum pergitis furiosè consecrari? an de-

Enumeratio.

Incrementum.

Interpretatio.

Definitio.

Interpretatio.

Definitio.

Enumeratio.

Definitio.

Auxesio.

dementes? an vestri rerumque vestrarum oblitus? an potius vitæ ac salutis hostes infensissimos, pœnè dixerim vestri ipsorum crudeles partidas?

### ALIA EXERCITATIO.

*Marci Attilii Reguli ad Carthaginenses Oratio, cum infecta re, quam ipse dissuaserat, Carthaginem reversus esset.*

### SYNOPSIS.

**Exord.** Dicit non timuisse se reverti Carthaginem infecta re, quamvis non ignoraret quàm gravia sibi parata essent supplicia.

**Propositiō.** Per Interpretationem: dicit non negare se, aut dissimulare, fuisse se unum auctorem, ne fœdus ullum Romani cum Carthaginensibus sancirent.

**Confirmatio.** Dicit eò propendisse omnium animos, ut remitterentur Carthaginem, qui Romanorum in vinculis tenebantur. Et vocem illam *Omnes* per Enumerationem amplificabit. Addet nulla re poruisse se inflecti, ut communibus votis responderet; quod Enumeratione pariter dilatabit.

**Concludet** permittendo se Carthaginensium furori: Hortabitur etiam, ut nocentem plectant; supplicis, morte, afficiant; Quod Interpretatione & Incremento amplificabit.

### ORATIO.

Etsi, Viri Carthaginenses, minimè ignorabam, quàm grave capiti meo exitium accerferem, nisi permutandos utrinque Captivos esse, quod volebatis omnes, Romanis persuasissem; Tamen infecta re non modò revertor ad vos obligatæ fidei memor, sed neque vereor etiam tam insolentis consilii unum me auctorem profiteri.

Sic est; non ego veni in hunc locum, Carthaginenses, ut, quod est à me factum laudabiliter, aut inficiari, aut dissimulare, aut exorsare

velim. Unus omnium obstiti, prohibui, vetui, ne tam indignum Romana gente vobiscum fœdus sanciretur. Ego labantes jam & inclinantes ultrò pudendam in pacem animos confirmavi: fecit mea unius Oratio, ne turpissima nostro nomini labes, ex tam iniquis conditionibus æternum adhæresceret.

Nam, si nescitis, vidi cum universa pœnè civitas, paucorum hominum studiosa magis, quàm gloriæ suæ memor, dedi sibi postulare, quos habetis vestris in vinculis, parata vicissim, quos captivos fecisset, Carthaginem remittere: vidi, & videre puduit in eandem ire sententiam, quod erat apud nos maximè sanctum atque integrum; partem nobilitatis longè maximam, clarissimos Reip. nostræ Ordines, Senatium ipsum molli nescio quo commiserationis sensu miserabiliter inflexum assentiri votis communibus, & exiturum in patriæ dedecus ac ruinam Decretum pacis ac fœderis meditari. Reclamatum est à me viriliter, pugnavi in omnes, vici, persuasi. Non me tot matronarum orbitas, aut conjuges, aut liberos requirentium, non desolatæ multitudinis obsecrationes, non urbis totius comploratio, non familiæ meæ dolor ac luctus, non parata mihi reduci supplicia, & cruentum quodlibet mortis genus commoverunt.

Agite ergo, Carthaginenses, irritum per me fœdus meo sanguine compensate. Sum reus: in me unum manus ac furores vertite. Mulctare fontem, macerate. Perдите. Tentate in Regulum novum aliquod supplicii genus. Jam percepi mecum ante quidquid durum est atque asperum: non vincetis expectationem: neque aut mori timidum, aut quacumque mortis imagine pavescentem invenietis.

Interpretatio.

Enumeratio.

Interpretatio.

CA.

### CAPUT II.

*Quibus verbis constare debeat Amplificatio.*

**Q**uam præcipuè verba vim habent Amplificandi?

R. Hæc præsertim recenset Tullius libro Partitionum Oratoriarum n. 53. Sic enim ait. *Est igitur amplificatio, gravior quadam affirmatio, que motu animorum conciliet dicendo fidem. Ea & verborum genere conficitur & rerum. Verba ponenda sunt que vim habent illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, Gravia, Plena, Sonantia, Juncta, Facta, Cognominata; non vulgata, Superlata, inprimisque Translata, nec in singulis verbis, sed in continentibus Soluta, que dicuntur sine conjunctione, ut plura videantur. Augent etiam Relata verba, Iterata, Duplicata, & ea que ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora, omninoque semper quasi naturalis & non explanata oratio, sed gravibus referta verbis, ad augendum accommodatior.*

De singulis operæ pretium est pauca dicere, & singula illustribus exemplis commendare.

Primò. Verba debent esse *Illustrata*, ita tamen, ut ab omnibus intelligantur, nec abhorreant à sensu communi. Illustris est ea Ciceronis exclamatio pro Planc. n. 99. *O acerbam mihi memoriam temporis illius ac loci, cum hic in me incidit, complexus est conspersitque lacrymis, nec loqui præ mœnore potuit! o rem cum auditu crudelem, tum visu nefariam! o reliquos omnes dies noctesque eas, quibus iste à me non recedens, Thesaloniam me in Questoriumque perduxit.*

Et pro Milone n. 33. *Tu P. Clo-*

*dii cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum eiecisti, tu spoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.*

Secundò. Debent esse *Gravia*, hoc est plena sententiarum & majestatis, Ita Cicero pro Milone n. 97. *Ex omnibus premiis virtutis, si esset habenda ratio premiorum, amplissimum esse premium, gloriam esse hanc unam, que brevitatem vite posteritatis memoria consolaretur; que efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse cujus gradibus etiam homines in cælum videantur ascendere.*

Porro verba illa graviora sunt, quæ majorem vim bonitatis ostendant, ut charitas & pietas, quam amor & benevolentia. Hinc Cicero C. L. 1. Epist. 9. *Perjucunda mihi fuerunt Litteræ tuæ, quibus intellexi, te perspicere meam in te pietatem, quid enim dicam benevolentiam, cum illud ipsum sanctissimum & gravissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis esse videatur?*

Graviora sunt pariter, quæ majorem vitiositatis vim præ se ferunt; ut latro, prædò, raptor; quàm fur; carnifex, quàm sicarius; parricida, quàm homicida; impius ac nefarius, quàm improbus; profligator, quàm malus. Ita & quæ majorem nocendi vim habent; ut vulnerare & ferire, quàm percutere; exterminare, quàm eicere; trucidare, quàm occidere, &c.

Tertiò. Debent esse *Plena*, qualia sunt illa pro Milone n. 98. *De me semper Populus Rom. semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas.*

Quartò debent esse *Sonantia*. Talia sunt illa quæ leguntur in Miloniana n. 87. *Polluerat stupro sanctissimas*

Re-

Religionem; Senatus gravissima Decreta perfregerat; Pecunia se palam à iudicibus redemerat; Vexerat in Tribunatu Senatum; omnium Ordinum consensu pro salute Reip. gesta resciderat; me patria expulerat; bona diripuerat, &c.

Et pro Plancio n. 102. Huc exurge tamen, queso, retinebo, & completar; nec me solum deprecatores fortunarum tuarum, sed comitem sociumque prostebor.

Quintò. Debent esse Cognominata, hoc est ejusdem pœne significationis, ut pro Milone n. 101. Hæc tanta virtus ex urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur? Et pro Plancio n. 101. Quid me adspicias! quid mea promissa reperis? quid meam fidem imploras?

Sextò. Vim habent amplificandi verba Juncta, quæ non simplicia, sed composita sunt, ut perhorrescere, excruciare, contrucidare, &c.

Septimò. Augent Orationem Paeta verba; quæ Orator ipse fingit, ut acrius & vehementius dicat. Ita Cicero scribens ad Appium Libro 3. Famil. Epist. 7. dicit; Nullam Appietatem, nullam Lentulitatem valere, plusquam ornamenta virtutis. Sic malus poeta per contemptum Poëta ster nuncupari potest.

Octavò. Non vulgata, quæ supra vulgarem dicendi morem efferuntur, ne humilis videatur Oratio, ut pro Milone num. 85. Vos Albani tumuli atque Luci, vos, inquam, imploro atque obtestor! vosque Albane aræ Sacrorum Populi Rom. sociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cæsis prostratisque sanctissimis Lucis, substructionum insanis molibus oppreserat.

Hæc aliquando substituuntur vulgaribus, & ex collatione videntur ampliora. Exemplum dabit hic locus ex Verrina 3. n. 9. Non enim furem,

sed ereptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitia; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem Civium sociorumque in iudicium vestrum adduximus.

Nonò. Superlata dicuntur, quæ veritatem excedunt, & dicunt plus, quàm reverà est, ut pro Mil. n. 105. O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit! hanc ingratham, si ejecerit! miseram, si amiserit! Idem pro Archia n. 19. Saxa & solitudines voce respondent, bestia sepe immanes cantu flectuntur atque consistunt.

Et pro Marcello n. 8. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.

Et pro Lege Manil. n. 28. de Pompejo loquens. Qui extrema pueritia miles fuit summi Imperatoris; ineunte adolescentia maximè ipse exercitus Imperator; qui sapius cum hoste conflixit, quàm quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quàm ceteri legerunt, plures Provincias confecit, quàm alii concupierunt.

Decimò. Multum valent cum ad illustrandam, tum ad augendam Orationem Translata verba, qualia sunt illa, lumen Orationis, splendor generis, concionum procellæ, Orationis fulmina, incensus ira, inflammatus cupiditate, errore lapsus, &c. Pro Mil. n. 5. Equidem ceteras tempestates ac procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas.

Ibid. n. 35. Quid enim odisset Clodiam Milo, segetem ac materiam sue gloriæ, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus?

Monet autem Tullius adhibendam esse Disjunctionem; quod fit, cum unumquodque membrum suum verbum habet ac sensum. Talis est locus ille.

ille supra jam laudatus pro Mil. n. 87. Me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, Liberos, conjugem meam vexaverat, Cneo Pompeio nefarium bellum indixerat.

Fit etiam Disjunctio singulis in verbis, ut pro Mil. num. 103. Quodnam concepi tantum scelus, aut quod in me tantum facinus admisi, cum illa indicia communis exitii, indagavi, patefeci, protuli, extinxi?

Et pro Domo sua n. 106. Jus igitur statueris esse uniuscujusque vestrum sedes: aras, focos, Deos Penates subjectos esse libidini Tribunitia.

Maximam quoque, si Tullio credimus, vim habent amplificandi Relata verba, Duplicata, Iterata, & quæ ascendunt ab humilioribus ad grandiora.

Quod spectat ad Relata verba, illa tribus modis possunt intelligi. 1. Cum paria paribus referuntur, ut pro Mil. num. 10. Est enim hæc non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus, &c.

2. Cum contraria contrariis necuntur, ut pro Sextio n. 138. Sed mihi omnis Oratio est cum virtute, non cum desidia; cum dignitate, non cum voluptate; cum ratione, non cum amentia; cum iis, qui se patriæ, qui suis Civibus, qui laudi, qui gloriæ; non qui somno & conviviis & delectationi natos arbitrantur. Pro Marc. n. 7.

3. Cum ad unum verbum multi casus per Adjectionem referuntur, ut pro Cluentio, n. 12. Ita flagrare cepit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula famulæ, non hominum fama, non filii dolor, non filie maror à cupiditate revocaret.

Iterata dicuntur ea, quæ sæpius initio Membrorum vel Incisorum repetuntur, ut pro Mil. n. 94. Ubi nunc Senatus est, quem securi sumus? ubi Equites Romani illi, inquit, tui? ubi studia Municipiorum? 2. Phil. n. 19. pro Lege Man. n. 30.

Duplicata verba sunt ea, quæ geminantur, ut pro Mil. n. 91. Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis.

Plurimum valent quoque ea verba ad augendum, quæ ab humilioribus ad grandiora perveniunt. Ita pro Mil. n. 103. Utinam Di immortales fecissent (pace tua, patriæ, dixerim; metuo enim ne sceleratè dicam in te, quod pro Milone dicam pie) ut P. Clodius non modo viveret, sed etiam Prætor, Consul, Dictator esset, antequam hoc spectaculum viderem.

Et Verrina 7. n. 169. Facinus est vinciri Civem Rom. scelus verberari, prope parricidium necari, quid dicam in crucem tollere?

Denique consecranda est in verbis consonantia, Cicerone teste. Hinc superlativa melius ponuntur pro absolutis. Pro Lege Manil. n. 1. Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus. Et pro Flacco n. 1. Cum in maximis periculis hujus urbis atque Imperii, gravissimo atque acerbissimo Reip. casu, socio atque adjutore consiliorum, periculorumque meorum L. Flacco cadem à vobis, conjugibus, Liberis vestris, vastitatem à templis, delubris, urbe, Italia depellebam, &c.

Pluralia pro singularibus; ut pro Balbo num. 1. Si auctoritates patronorum in judiciis valerent, ab amplissimis viris L. Cornelii causa defensa est; si usus à peritissimis, si ingenia ab Eloquentissimis, si studia ab amicissimis, & cum beneficiis cum

*L. Cornelio, tum maximè familiaritate conjunctis.*

Verbalia pro absolutis consonantiora sunt, ut si dominatrix animi cupiditas, pro Domina vitæ; *Philosophia dux, virtutis indagatrix, expultrixque visiorum, & Artium procreatrix.* l. 5. Tuscul. Quæst. n. 5.

## EXERCITATIO.

*Luctus Jacobi, cum rinctam Josephi sui, ut ferebatur, sanguine Tunnicam aspexisset.*

Per Verba Illustria, Gravia, Plena, Sonantia, Cognominata, Juncta, Facta, non Vulgata, Superlata.

## SYNOPSIS.

1. Orietur à triplici Exclamatione verbis Illustribus expressa, qua suum & Josephi fatum deplorabit.

2. Dicit nihil fore deinceps, quod acerbi funeris memoriam consoletur. Per verba Gravia.

3. Per verba Plena, obversaturam semper animo cruentæ cædis imaginem.

4. Per verba Sonantia queretur, quod adfuerit nemo vel in solitudine, qui rabiem ferarum compesceret.

5. Filios increpabit per Cognominata verba, quod Fratri opem non tulerint.

6. Per verba Juncta dicit, præsentire eos debuisse Josephi fatum, nisi prohibuisset ipsos malis in fratrem livor.

7. Per non Vulgata semet ipse incusabit, qui per deserta loca filium pergere solum permiserit.

Denique per verba Superlata, dicit futurum fuisse, ut ipse feris valentior, earum ferociam repressisset.

## ORATIO.

Illustria  
pro Planc.  
99.

O acerbum misero parenti nuncium, quod refers, cum tunicam hanc mihi laceram miserabiliter, & cruentatam objicis! o luctuosum deplorandumque Josephi fatum! ò reliquos mihi, quibus vivere ulterius dabitur, dies flebiles & amaros!

Nam quid mihi deinceps contingat in hoc ærumnosæ vitæ curriculo, quod acerbissimi illius funeris memoriam possit consolari?

Obversabitur semper ante oculos cruentæ illius cædis imago tristissima, & gravibus stimulis usque confixus animus misero luctu contabescet.

Ergone vel desertas inter solitudines nullus adfuerit, qui ferarum immanium impetum arceret? sævitiam ac rabiem comprimeret? se se destitutæ innocentæ patronum defensorumque profiteretur?

Et vos, Fratres infidi ac perduelles, non adfuitis? non tulistis opem? fratrem vestrum è cruentis belluarum faucibus non eripistis, non defendistis, non servastis?

Præsentire debuisset vestra pietas tam luctuosum miseri Josephi fatum, & periculi magnitudinem antevertere. Erat hic locus contestandæ apud omnes vestræ in fratrem charitatis, nisi mala vos æmulatio & degener livor continuissent.

Sed quid Filios accusas tuos, infelix parens? tuam ipsius fœcordiam argue, & expertem humanitatis omnis animum accusa. Nam cur Josephum tuum per saxa invia & inhospita, per vastas desertasque nemorum solitudines, per metuenda ferarum spelæa solum incomitarumque permittebas?

Ah! si puero fidelis comes adfuisset, si te viæ socium adjunxisset, filium ab omni periculo tutum & incolumem præstitisset. Tu Leonum ferocitatem perdomuisses, Tigrium asperitatem mitigasses, contra vim atque impetum amor ipse fortior ac valentior insolitum robur & arma vinci nescia suffecisset,

Gravia  
pro Mil.  
97.

Plena pro  
Mil. 98.

Sonantia  
pro Mil.  
87.

Cognomi-  
nata pro  
Mil. 101.

Juncta.

Non vul-  
gata pro  
Mil. 85.

Superlata  
pro Mil.  
105. pro  
Archia  
19.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

*Insectatio Neronis, cum Britannicum sub amicitia specie ad Epulas invitatum veneno interfecisset.*

## SYNOPSIS.

1. Triplici exclamatione Illustribus verbis expressa Neronis facinus insectabitur.

2. Per verba Gravia Britannicum consolabitur gratissima posteritatis recordatione.

3. Per verba Plena & Sonantia petet à Nerone, num potuerit morientis Britannici vultus sustinere?

4. Per verba Juncta dicit perhorruisse ipsos sceleris administratos.

5. Per verba Facta, singenda esse nova vocabula ad sævitiam Neronis designandam.

6. Queret à Nerone per verba Cognominata, qua fuerit injuria provocatus, an requam scelus istud perageret?

7. Per non Vulgata eundem exagitat, quod non habuerit satis Britannico eripere Imperium, nisi in ejus vitam grassaretur.

Denique per Superlata, non esse Nerone amandandum ad feras, ne eadem faciat consortio suo crudeliores.

## ORATIO.

Verba Il-  
lustria.

O ferale luctuosumque Populo Romano spectaculum! Britannicus geniales inter epulas crudelissimo facto sublatus! ò funestam bonis omnibus acerbamque hodiernæ diei memoriam! ò facinus nullo posteritatis odio, nulla execratione satis detestandum!

Gravia.

Tamen ne doceas tantum, Juvenis fortissime; nec præcisum tibi ab immani parricida brevis fragilisque vitæ curriculum acerbius desideres. Non extinxit Nero perfidus unicum corpore gratissimam rerum à te gestarum recordationem; & dum savissimi Imperatoris immani-

Le Jay, Tom. I.

tatem omnis ætas execrabitur, nulla de tuis laudibus unquam conticescet.

Ten' verò, mortalium omnium crudelissime, sustinuisse irretortis oculis tristissimam tui sceleris imaginem? inspexisti sine horrore quodam ac fremitu squalidos ac liventes vultus, extinctos flagitio tuo fratris oculos, revolutum inter mensas incruentum cadaver, flebilem & amaram omnium complorationem?

At perhorruerunt ad tam immane spectaculum detestabiles tui furoris administrati; ipsi feralis aulae parietes visi sunt contremiscere, & ad novum parricidii genus commoveri.

Crudelis! sed quid ego te crudelem dico, quasi vox sit aliqua, quæ parricidii tui atrocitatem adumbrare possit? singenda sunt nova vocabula, quæ criminis novitati respondeant. Non jam crudelis Nero, sed crudelitas ipsa Neronis nomine vocabitur, ut tuo deinceps nomine nuncupata, majorem animis terrorem incutiat.

Sed age; qua lacessitus injuria, qua provocatus contumelia, quo Britannici flagitio stimulatus ad committendum tale parricidium te te comparasti? cum barbarum illud consilium concepisti, an eras apud te satis? an fueras sceleris gravitatem meditatus? an Juvenis innocentissimi dignitatem, merita & propinquam tibi cum eo affinitatem expenderas?

Parum igitur erat, quod debitum Britannico solum malis Agrippinæ matris artibus eriperas? quod ipsius bona, fortunas, munera sustuleras? nisi in ipsius vitam immedicabili veneno grassaretis.

O scelus! ò impietas! Et adhuc petacto tali flagitio conspectum ho-

Plena &  
Sonantia.

Juncta.

Facta.

Cogno-  
minata.

Non vul-  
gata.

Superla-  
ta.

C mi-

minum sustines? I, pere recessus nemorum, inter saxa cautesque asperas cum immanibus feris immorare. Quanquam & illud cave, ne commiseris. Tu contage crudelitatis immaniores feras, tu rupes praesentia tua duriores efficeris, qui immanitate fetas, rupes duritie superasti.

## EXERCITATIO.

*Extolletur Prudentia Ciceronis, qui cessit in exilium, ne Rempublicam in discrimen adduceret.*

Per Translata verba, Dissoluta, Relata, Iterata, Duplicata & Gradationem.

## SYNOPSIS.

*Exord.* Dicit non potuisse temperare vel in privato communique luctu ab extollenda Ciceronis ultro cedentis prudentia.

2. Per Translata verba dicit magnae fuisse prudentiae cedere tempestati, & se privato potius, quam publico naufragio exponere.

3. Describet per Disjuncta, seu Dissoluta verba luctum totius civitatis, abeunte Cicerone.

4. Dicit per Relata verba, pugnandum fuisse Ciceroni, non cum ratione; sed cum amentia, &c.

5. Per Iterata verba, vidisse Ciceronem, si pugnaret cum Clodio, periculis infinitis Rempublicae esse exponendam.

6. Per Duplicata verba, appellabit Ciceronis prudentiae testes Senatores. Vos, vos, &c.

Denique dicit Ciceronis prudentia servatam urbem, Rempublicam Italiam, idque per Gradationem.

## ORATIO.

Quamvis, Marce Tulli, multo fatius arbitrarer cum civitate universa dolori meo indulgere, quam inutilli, nec conveniente huic tempori pra-

conio abeuntem prosequi; tamen vel in hac ipsa, in quam te ultro conjecisti, fuga tam singularem prudentiam demonstrasti, ut ad eam praedicandam, ut par est, publicam interpellare tantisper complorationem non pertimescam.

Quanta enim verò prudentiae fuit, cum perturbatam causa tua variis animorum aestibus civitatem cerne- res, ita cessisse non invitum tempestatibus ac procellis, ut adires ipse quidem naufragii periculum, Rempublicam verò totam tranquillo in portu collocares!

Nam quis meminisse possit sine lacrymis tristissimam illius diei imaginem; cum te deposcente ad poenas nefaria P. Clodii conjuratione, lugeret Senatus, mœreret Equester Ordo, boni omnes afficerentur, tota civitas proprii corporis oppositu imminentem capiti tuo perniciem, ferrum, faces, arma, gladios depellere conaretur?

Tamen, quoniam pugnandum tibi erat, Marce Tulli, non cum ratione, sed cum amentia, non cum aequitate, sed cum furore, non cum homine, sed cum pecude; putasti esse prudentiae tuae illud subire pugnae genus, in qua si vicisses, sine gloria vicisses; vinci autem non posses, quin summum nomini tuo dedecus, fatalem ipsi Reipublicae ruinam accereres.

Videbas enim verò pro singulari mentis tuae perspicacia, quantis Rempublicae periculis objiceres, isti furenti Clodio molem opponere aggredere- ris. Videbas, eversis legibus, nullum fore consilium tuis, aut etiam divinae facundiae locum; videbas sublata Magistratum auctoritate nullum in Foro praesidium, nullam in aequissimis iudiciis spem esse positam; videbas exulante iustitia, dominante ubique libidine, nullum affli-

Translata verba pro Mil. n. 5.

Disjuncta seu dissoluta pro Mil. n. 87. Domo n. 106.

Relata pro Mil. n. 10. Sex. n. 138. Mar. n. 7.

Iterata 2. Phil. n. 19. pro Lege Manilia n. 30.

## ORATIO.

afflictae innocentiae contra scelus atque audaciam patrocinium superesse.

Quod igitur neque vis, neque facundia perfecisset, hoc tu prudentia tua consecutus es, Marce Tulli, ut communibus malis mederere. Vos, vos appello, clarissima Reipublicae Lumina, vos amplissimi hujus Ordinis Principes, vos sapientissimi rerum nostrarum Moderatores, quicquidem ultro tempore Ciceronem palam extulistis. An erit quisquam vestrum qui profiteri dubitet, singulari ipsius prudentia factum esse, ut ferro facibusque ereptam hanc urbem, Rempublicam ab exidio communi, Italiam totam à funesta vastatione, universum denique Imperium ab imminente ruina conservatum, contra spem omnem expectationemque nostram, videremus.

## ALIA EXERCITATIO.

*Marco Tullio Ciceroni post suum in urbem Romam Reditum, Oratio Gratulatoria per laudata modo verba.*

## SYNOPSIS.

*Exord.* Dicit Rempublicam voluisse in publico gaudio singulare aliquod laetitiae suae testimonium Ciceroni dare.

2. Dicit longè dissimilem esse faciem Civitatis ab ea quae fuerat, cum Cicero ex urbe cederet, per Translata verba.

3. Per relata explicabit, ut mœror mutatus fuerit in gaudium; & per Dissoluta laetitiam ad omnes pertinuisse.

4. Per Iterata, non excidisse memoriam beneficiorum, quae Cicero contulerat in Rempublicam. Cum, &c.

5. Per Duplicata Ciceronem invitabit, ut excipiat plausus totius Civitatis.

Denique per Gradationem explicabit Ciceronis merita in Rempublica.

Etsi sincerus gestientis undique Populi Romae plausus & laeta omnium Ordinum acclamatio satis significant, quantum universa civitas ex tuo in hanc urbem reditu gaudium perceperit, Marce Tulli; tamen suae erga te propensissimae voluntati nunquam se Respublica nostra fecisse satis existimet, nisi hoc publico laetitiae suae testimonio redeuntem prosequatur.

Proh! Dii immortales, Marce Tulli, quam mutata civitatis hujus facies, ex quo suavissimo conspectu tuo unumquemque nostrum recreasti! Quam dissimilis hodiernae lucis festivitas ab eo tristissimi illius diei apparatu, cum perturbatis seditionum fluctibus cedendum esse ratus, ne Rempublica certissimo naufragii periculo exponeres, te te immanissimis saevientis belluae furoribus subtraxisti!

An non enim verò sentis ipse, Marce Tulli, quantam in omnibus & singulis conversionem animorum adventus tuus effecerit? Non intelligis per temetipsum, ut mœrorem gaudium, risus lacrymas, festae gratulantium voces tristissimos planctus exceperint. Ad quem porro tam singularis laetitiae pars non pervenit? Lugebat Senatus abeuntem. Jam redeuntem gratulatur. Mœrebat Equester Ordo, qui te maximum decus suum atque ornamentum deperderet; nunc, te recepto ac sospite, plaudit ac triumphat. Afflictabantur omnes boni, dum se patrono suo ac defensore destitutos cernebant; exultant hodie, cum restitutum te sibi fuisse gloriantur. Tota civitas confecta luctu atque senio salutis vindicem ac libertatis suae assertorem requirebat; nunc erecta tandem & recreata

Duplicata 7. Ver. rina, n. 161. Cat. 1. 4. Per Gradationem pro Mil. n. 103. 7. Ver. n. 169.

Translata.

Relata Dissoluta.

novum sibi à te præsidium adpromittit.

Iterata.

Neque enim excidit gratissima tuorum erga civitatem hanc meritorum memoria, cum perniciofa in Remp. consilia detegeres; cum nefarios sceleratorum civium impetus reprimeres; cum pro salute publica gravissimis periculis caput opponeres; cum urbem hanc ab incendio, scelere, ferro, servitute eriperes.

Duplicata.

Excipe ergo, Marce Tulli, excipe dignas prudentia, dignas pietate, dignas constantia triumphantis in causa tua civitatis universæ gratulationes. Nam si multum tibi debet, quod illam facundia tuæ laude ornaveris; si multo plura, quod eandem tam prudenter administraveras; si plurimum, quod consilio atque vigilantia multas ab ea calamitates depuleras; quantum debere tibi dicenda est, quam ab exitio summo salvam & incolumem præstitisti?

Gradatio.

### C A P U T III.

Quibus è Locis eruenda sit Amplificatio.

Hæcenus de verbis egimus, ex quibus Amplificatio constat; reliquum, ut de rebus, seu de Locis, ex quibus eruitur Amplificatio, dicamus. Nam illa, etsi ex omnibus Locis tum in sitis seu intrinsecus petitis, tum assumptis seu extrinsecus accersitis haberi potest, de quibus dicemus postea; tamen ex his præcipue decem Locis repetitur.

Primus est à Definitionibus conglobatis, seu à congerie Definitionum, per quas rei cujuslibet explicatio, quæ aut naturam ipsius aut partes, vel causas & effecta, vel officia &

adjuncta continet, vel propriis vocibus vel translatis designatur. Ita Cicero pro Lege Manil. n. 36. definit Imperatorem ab iis virtutibus, quæ in eo adesse debent, & quas deinde in Cn. Pompejo reperiri demonstrat. Est hæc divina atque incredibilis virtus Imperatoris: quid cetera, quas paulo ante commemorare ceperam, quanta & quam multa sunt. Non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore querenda est, sed multe sunt artes eximie hujus administra comitesque virtutis. Ac primum quanta innocentia debent esse Imperatores, quanta deinde in omnibus rebus temperantia! quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate! Quæ breviter qualia sunt in Cn. Pompejo consideremus.

Sic in Oratione post reditum ad Quirites, per varias Definitiones enumerat magnitudinem beneficiorum, quæ à populo Rom. acceperat n. 5. Quorsum igitur hac disputatio? quorsum? ut intelligere possitis neminem unquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quæ in me fratremque meum, liberosque nostros contulistis, non modo augere, aut ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit. A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus, à vobis natus sum Consularis. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt, vos spectatum & incredibili pietate cognitum reddidistis. Remp. illis accepi temporibus eam, quæ penè amissa est, à vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera servatam judicant. Dii immortales mihi liberos dederunt, vos reddidistis. Multa præterea à Diis immortalibus optata consecuti sumus; nisi voluntas vestra fuisset, omnibus di-

divinis muneribus caruissimus. Vestros denique honores, quos eramus gradatim affecturi, nunc à vobis universos habemus; ut quantum antea parentibus, quantum Diis immortalibus, quantum vobismetipsis, tantum hoc tempore, universo cuncta Populo Rom. debeamus.

Et pro Cæcinnâ n. 77. & 78. probat Aquilium esse virum probum à prudentia, humanitate, fide, justitia.

Et 2. Oratione in Rullum n. 8. ait se Rempub. afflictissimam recepisse; quam describens, per omnes calamitatis circumstantias definit.

Ibidem n. 97. Avaritiam & ambitionem Rulli damnat per Definitiones conglobatas.

Secundus locus à Frequentatione Consequentium, cum proferuntur bona seu mala, quæ oriri possunt ex aliqua re. Hunc locum tractat Cicero pro Muræna n. 85. Sed quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris in eum annum, qui consequitur, redundarint? Unus erit Consul, & is non in administrando bello, sed in sufficiens Collega occupatus. Hunc jam qui impedituri sint, parati sunt. Illa pestis immanis, importuna Catilina prorumpet, quæ poterit, & jam Populo Romano minatur: in agros suburbanos repente advolabit: versabitur in castris furor, in Curiatimor, in Foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas; omni autem in sedo ac loco ferrum flammamque metuemus. Quæ jam diu comparantur, eadem ista omnia, si ornata suis præsidis erit Resp. facile & Magistratum consiliis, & privatorum diligentia opprimuntur.

Et Catil. 4. n. 11. Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium subito uno incendio concidentem certo animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium.

Le Jay, Tom. 1.

Versatur mihi ante oculos aspectus Cæthegi & furor in vestra cade bacchantis.

Tertius à Contrariis, in quo contraria multa congeruntur. Pro Muræna num. 89. Ibit in exilium miser? Quo? Ad Orientis-ne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & magnas res gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore decesseris, eodem cum ignominia reverti. An se in contrariam terrarum partem abdet, ut Gallia Transalpina, quæ nuper summo cum imperio libentissime viderit, eundem lugentem, moerentem, exsulem videat? In ea porro Provincia, quo animo C. Murænam, fratrem suum aspiciet? qui hujus dolor? qui illius moeror erit? quæ utriusque lamentatio? Quanta autem perturbatio fortune atque sermonis, quod, quibus in locis paucis ante diebus factum esse Consulem Murænam nuntii literæque celebrassent, & unde hospites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eâ accedat ipse nuntius calamitatis suæ.

Sic pro Milone n. 99. Judicium benevolentiam sibi conciliat commemoratione sui in illos amoris & mæmoris animi, quibus irasci non possit ob vulnus acceptum. Nec verò si mihi eriperis, reliqua est illa tamen ad consolandum querela, ut his irasci non possim, à quibus tantum vulnus accepero; non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum unquam, Judices, mihi tantum dolorem inuretis (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceritis.

Et pro Cælio n. 78. probat Tullius à contrariorum confitione Cælium nunquam Reip. defuturum; & comparatione inter illum & Clodium,

C 3 dium,

dium, qui non ita pridem absolutus fuerat, instituta, Iudices ab eisdem damnatione deterret.

Quartus locus est à *Dissimilitudine*, in quo multa dissimilia adhibentur, ut 2. Catil. n. 24. ubi probat Cicero à Dissimilibus non esse metuendos Catilinæ socios. *O bellum magnoperè pertimescendum, cum hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem pretoriam! Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catiline copias vestra præsidia vestroque exercitus, & primum gladiatori illi confecto ac saucio Consules Imperatoresque vestros opponite. Deinde contra illam naufragorum ejectam & debilitatam manum, florem totius Italia ac robur educite. Jam verò urbes Coloniarum ac Municipiorum respondebunt Catilinæ tumulis sylvestribus. Neque verò ceteras copias, ornamenta, præsidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate debeo conferre.*

Et Verrina 6. n. 115. *Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus Pratoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitum invito; hujus libidines, cum illius continentia; ab illo qui cepit conditas, ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.*

Et ibid. n. 31. *Sic habetote plures esse à Syracusanis istius adventu Deos, quam victoria Marcelli homines defederatos.*

Quintus Locus à *Repugnantibus*. Pro Milone n. 103. *Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahar ab iis, per quos restitutus sum? Et n. 104. Hicne vir patria natus, usquam, nisi in patria morietur? aut si forte pro patria: hujus vos animi monumenta retinebitis; corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententia ex ur-*

*be expellet, quem omnes urbes expulsum à vobis ad se vocabunt? ubi probat à contentione Repugnantium, Milonem in Italia retinendum esse.*

Et pro Comædo num. 18. probat Saurium pugnantia loqui. *Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, existimas aliter? Nonne, quotiescumque in causa in hujus viri nomen incidisti, toties hunc & virum bonum esse dixisti, & honoris causa appellasti; quod nemo nisi aut honestissimo aut amicissimo facere consuevit? Et ibid. n. 19. Quia in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem & laudes & laudares; & virum optimum & hominem improbissimum esse dices. Eundem tu & honoris causa appellabas, & virum primum esse dicebas, & socium fraudasse arguebas. Sed, ut opinor, laudem veritati tribuebas, crimem gratiæ concedebas. De hoc, ut existimabas, prædicabas, Chereæ ab arbitrato causam agebas.*

Et pro Mil. n. 41. *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliorum querela. Quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?*

Et pro Cælio n. 47. probat à *Repugnantibus* Cælium non potuisse fractum deliciis atque voluptatibus videri, qui Eloquentiam professus fuisset. *An hic, si se se isti vita dedisset, Consularem hominem admodum adolescens in iudicium vocavisset? hic si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie versaretur? appeteret inimicitias, in iudicium vocaret, subiret periculum capitis, ipso inspetante Populo Rom. tot menses aut de salute, aut de gloria dimicaret?*

Sex-

Sextus à *Causis* dicitur, quando vel excusatur aliquis, vel vituperatur à variis causis, propter quas videtur aut excusandus aut vituperandus. Ita Cicero pro Sextio à n. 46. ad n. 50. causas affert, propter quas sibi depugnandum aut etiam moriendum pro salute publica non censuerit; sed maluerit exilium subire. Locus hic totus diligenter legendus, in quo etiam reddit rationes propter quas multis venisset in odium & ad mortem deposceretur.

Et pro Milone n. 73. probat à *Causis*, cur Clodius cæsus jure videri possit, etiam si insidiator non fuisset, qui tanta impunitate per omnia facinora diripiendis civium bonis, faciendis cædibus, admittendis quibusque flagitiis grassatus esset: sic ut gloriari Milo posset cæde Clodii, & palam dicere, *occidi, occidi. . . Eum, cuius supplicio Senatus solemnes sæpe religiones expiandas censuit; eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse Luc. Lucullus juratus, se, questionibus adhibitis, dixit comperisse; eum, qui civem, quem Senatus, quem Populus, quem omnes gentes urbis ac vita civium conservatorem iudicabant, servorum armis exterminavit; eum, qui regna dedit, ademittit; orbem terrarum, quibuscumque voluit, partitus est; eum, qui pluribus cædibus in foro factis, singulari virtute & gloria civem domum vi & armis compulit; eum, cui nihil unquam nefas fuit in facinore, nec in libidine; eum, qui eadem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recensionis tabulis publicis impressam extingueret.*

Ibidem multis rationibus Milonem vindicat ab insidiarum suspitione; & cædis odium in Clodium rejicit à congerie Causarum; quia Clodius erat scelestus, quia Milonem oderat, quia honores ambie-

bat, quia sperabat impunitatem, à numer. 24.

Ita pro Lege Manilia à n. 20. ad 27. probat bellum esse difficile ac periculosum à *Causis*; scilicet quia concurrunt ad illud Reges potentissimi; quia renovant agitata rationes, suscipiunt gentes integræ, novus Imperator bello præficitur.

Septimus Locus ab *Effectis* petitur sive eventis, quorum multitudo in laude admirationem parit; in vituperio ciet indignationem. Ita Cicero in Libro de Senectute n. 40. miserabiles Effectus voluptatis enumerat ad amplificandos maturæ ætatis fructus, quæ habet, unde pessimos æstuantis ac libidinibus perditæ ætatis motus reprimat ac coerceat: *Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem dicebat à natura datam hominibus, cuius voluptatis avida libidines, temerè & effrenatè ad potiendum incitarentur. Hinc patriæ prodiiiones, hinc Rerump. everisiones, hinc cum hostibus clandestina consilia nasci dicebat; nullum denique scelus, nullum facinus magnum esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret, Stupra verò & adulteria, & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate. Cumque homini sive natura, si quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem.*

Et Verrina 3. numer. 78. Verris libidines ab Effectis amplificat. *Tantane tuæ, Verres, libidines erunt, ut eas capere ac sustinere non Provincia Populi Rom. non nationes externe possint? Tunc quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidini tuæ cupiditatisque paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? civitates*



rates non modo pacata, verum etiam sociorum atque amicorum ad vim atque ad arma confugient, ut ab se, à liberis suis legati Populi Rom. sce- lus atque libidinem propulsare possint?

Philippica 14. numer. 8. crudele bellum Antonii, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta omnibus denuntiantis pariter ab Effectis amplificat. *Bellum inexpiabile infert quatuor Consulibus unus omnium latro- num teterrimus: gerit idem bellum cum Senatu Populoque Rom. Omnibus, quanquam ruit ipse suis cladi- bus, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat. Dolabella ferum & immane facinus, quod nulla bar- baria posset ignoscere, id Deorum consilio factum esse testatur, &c.. Refugit animus, eaque formidat di- cere, que L. Antonius in Parmen- sium liberis & conjugibus effecerit, &c.*

Sic & à rebus gestis Pompejum laudat pro Lege Manil. numer. 61. *Quid tam novum, quam adolescen- tulum privatam exercitu difficili Reip. tempore conficere? confecit. Huic praeesse? praesuit. Rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam prater consuetudinem, quam homini peradolescens, cuius à Se- natorio gradu aetas longè abesset, Imperium atque exercitum dari; Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his Provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute, &c.*

Octavus Locus petitur à Simili- tudine. Ita Cicero pro Archia nu- mer. 19. probat eos, apud quos lo- quitur, moveri debere orantis Ar- chiae precibus; quandoquidem ip- sa faxes Poetarum voce movebantur. *Saxa & solitudinis voce respondent, bestia saepe immanes cantu flectun-*

tur, nos instituti rebus optimis Poe- tarum voce non moveamur?

Et pro Roscio Amerino num. 131. Syllam cum Jove comparat & à Si- mili probat ignoscendum Syllae, si quid animadvertere non potuerit in tanta rerum cum multitudine tum magnitudine, quas administrandas haberet; quandoquidem nec ipsi im- putabatur Jovi, si quando imbres ac tempestates urbibus atque hominibus nocerent.

Et 1. Catilinaria num. 3. probat à Simili non esse ferendum Catili- nam. *An verò vir amplissimus Pub. Scipio Pontifex maximus T. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip. privatus interfecit? Catilinam verò orbem terrae cade at- que incendiis vastare cupientem nos Consules perferemus. Nam illa ni- mis antiqua praterco, quod Q. Ser- vilius Hala Sp. Melium novis rebus studentem sua manu occidit; fuit, fuit, ista quondam in hac Rep. vir- tus, ut viri fortes acrioribus suppli- ciis civem perniciosum, quam acer- bissimum hostem coercerent. Habemus Senatusconsultum in te, Catilina, vehementer & grave: non deest Reip. consilium, neque auctoritas hujus Or- dinis, nos, nos, dico aperit, Consu- les desumus.*

Nonus Locus ab Exemplis; qui- bus nihil solet esse efficacius ad movendum. Observandum est ta- men, ea non esse in Amplificatio- ne enucleatis explicanda; nam Am- plificatio minores circumstantias non patitur, nec admittit quidquam, nisi magnum sit illud vel usu, vel natura. Hæc porro quoties adhibet Tullius in Amplificatione, quasi pun- ctis quibusdam ac stimulis utitur ad urgendum.

Sic pro Archia n. 9. quem admit- tendum in civitatem esse contende- bat, affert congeriem exemplorum peti-

petitam à multis civitatibus, quæ Homerum, vel mortuum, suum esse defendebant emulatione qua- dam dignitatis, quam in Poetis esse positam arbitrarentur. *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum; Chii suum esse vindicant; Salaminii repetunt, Smyrnaei verò suum esse confirmant; itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt; permul- ti alii praterca pugnant inter se at- que contendunt; Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, post mortem etiam expectant; nos hunc vivum, & qui voluntate, & legibus noster est, re- putabimus?*

Et in laudata paulò ante Cati- lin. 1. num. 3. multis exemplis pro- bat non esse ferendum Catilinam apertum hostem, & Senatus Con- sulto jam damnatum: dignumque esse illum supplicii, quæ ab aliis multo minùs nocentibus repetita fuerunt.

Et pro Milone num. 16. & se- quentibus probat multorum exem- plis Livii Drusi, Pub. Africani, Pompeji, de quorum morte, etsi de Rep. bene meriti fuissent, nulla ha- bita fuerat quaestio, multo minùs de Clodii nece decerni debuisse. I- dem argumentum tractat num. 7. ubi confutat præjudicia quæ contra Milonem jactabantur; scilicet in Rep. bonis legibus instituta plectendum esse morte, qui hominem occisum à se fateretur, exemplis utriusque Grac- chi ac Saturnini, qui jure cæsi ha- bebantur.

Decimus Locus petitur à fictis personis, & Prosopopeja nuncupa- tur; qua fit, ut homines, vel bel- lux, vel etiam res inanimatae lo- quentes inducantur. Frequentissi- mus toto Cicerone iste Locus, de quo suo tempore dicemus fusiùs in Libro qui de Figuris inscribitur. Sic pro Mil. num. 23. Ita Milonem lo-

quentem inducit. *Me quidem, Ju- dices, exanimant, & interimunt hæc voces Milonis quas audio assidue, & quibus intersum quotidie. Va- leant, inquit, valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati. Stet hæc urbs præclara mihi- que patria charissima: quoquomode- rita de me erit: tranquilla Rep. Ci- ves mei (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed per me tamen perfruantur. Ego cedam atque abi- bo. Si mihi Rep. bona frui non li- cuerit, at carebo mala: & quam primum tetigero bene moratam & liberam civitatem, in ea conque- scam, &c.*

Et 1. Catil. num. 27. Ita Patriam loquentem facit. *Etenim si mecum Patria, qua mihi vita charior est, si cuncta Italia, si omnis Resp. loqua- tur, Marce Tulli, quid agis? Tunc cum, quem hostem esse comperisti; quem ducem belli futurum vides; quem expectari Imperatorem in ca- stra hostium sentis; auctorem scele- ris, principem conjurationis, evoca- torem servorum & civium perditio- rum exire patieris; ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in ur- bem esse videatur? Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari impera- bis? quid tandem impedit te? Mos ne Majorum? At persæpe etiam pri- vati in hac Rep. perniciosos cives mor- te mulctarunt? An leges quæ de Civium Rom. supplicio rogatae sunt? At nun- quam in hac urbe ii, qui à Rep. de- fecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Præcla- ram verò Populo Rom. reses gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam mature ad summum Imperium per omnes hono- rum gradus extulit. si propter invidi- am, aut alicujus periculi metum, salu- tem civium tuorum negligis, &c.*

De his decem Locis atque aliis tam infitis, quam assumptis, ex quibus Amplificatio petitur, quoniam singillatim acturi sumus in quarto Libro, super sedem in presentia suas singulis accommodare pro instituti nostri ratione Exercitationes. Satis habebimus unicam hic apponere, quæ ad præceptiones & regulas in hoc articulo traditas exacta sit.

## EXERCITATIO.

*Christiani apud Neronem Perduellionis accusati ab homine Ethnico defenduntur.*

A Definitione, à Frequentatione Consequentium, à Contrariis, à Dissimili, à Repugnantibus, à Causis, ab Effectis, à Simili, ab Exemplis, à Profopopeja.

## S Y N O P S I S .

*Exord.* **D**icet non afferre se Christianorum querelas, quid detinentur in vinculis, ad propulsandam illatam Perduellionis accusationem; ne eorum defensio minus ponderis habeat in propria causa; sed accedere se hominem Ethnicum, Christianæ gentis Patronum. Tractabitur Exordium per Profopopejam & per Causas, inducentur enim loquentes Christiani, & criminationis illatæ causas à se ampliantes.

*Proposio.* Dicet homo Ethnicus, non potuisse sibi temperare, quin eorum defensor accederet, quorum innocentiam noverat.

*Confirmatio.* Petetur à Repugnantibus, à quibus ostendet alienos esse à Perduellionis crimine. Et 1. Quidem à Religione quam Christiani profitentur, quam definit per Effectus, nimirum per leges & instituta, quibus constat tota, quæ leges & instituta contrariè pugnant cum illo crimine, cuius rei accusantur. Illa præcipit suis sectatoribus obsequium, amorem, reverentiam suos in Principes. 2. A Dissimili; illi scelerata moveant suos in Principes arma qui, &c. 3. Ostendet Repugnantiam cum Christia-

norum moribus, qui dociles semper visi sunt, qui laudem pro contumelia, amorem pro odio, &c. solent rependere; tractabitur etiam hic Locus à Contrariis. 4. Id confirmabit à Simili, revocando Christianorum memoriam qui pro defensione suæ Religionis tam saepe, tam multi mortem subierunt. 5. A Testimoniis: appellabit omnium fidem, si auctores aut participes turbarum, tumultus aut seditionis argui Christiani possint. Neronem ipsum testem appellabit. 6. Repugnat ut Christiani sine armis; sine opibus, sine Ducibus, quidquam ejusmodi moliri sint.

Concludet. Dehortando ab inferenda Christianis contumelia, vel pœna, & à Frequentatione Consequentium, demonstrabit quid metuendum habeat, si Christianos innocentes pergat ulterius persequi.

## O R A T I O .

Non adduco tuum ad Tribunal, Princeps æquissime, unum aliquem infortunatis illis ex hominibus, quos in vinculis habes, & cruentæ morti destinatis; suam ut sociorumque suorum peroret causam, & iniustam totius Christianorum genti accusationis labem depellat. Non queruntur illi suis ex ergastulis, tuamque testantes aequitatem flebiliter clamant. Insonantes nos sumus, accusamur perperam, & nihil meriti unquam male per summum nefas damnatur. Nam quis est tam iniusta criminationis artifex? aut quibus vel argumentis, vel testibus illa revincitur? An egimus quidquam, quod Perduellionis suspicionem moveat? an fuit nostris in moribus & vivendi consuetudine sceleris vel umbra, quæ facere suspectam fidem possit? Tam iusta Christianorum expostulatio, etsi valere potest apud æquissimum Principem, ad propulsandum iniquæ accusationis probrum, tamen ab iis profecta, quos utilitatis propriæ & propensæ in suos voluntatis ratio exstimulat, minus habere ponderis fortè videatur. At qui, studio contrariarum partium, alienus

sem-

semper à peregrinis novæ sectæ opinionibus vixerit, is non aliis, quam solius aequitatis rationibus impulsus ad dicendum pro Christiana gente debet videri.

Liceat igitur mihi pauca dicere Christianorum in gratiam, quos probè cum intelligam expertes esse protus illius criminis, cujus in invidiam vocantur, non potui mihi temperare, quin innocentiam patronus ac defensor accederem, & illatam contra fas omne Perduellionis calumniam amolirer.

Ac primum quidem quam alienum Perduellionis crimen censi debuit ab iis, qui Christiani nuncupantur, & Christum Religionis suæ Principem atque auctorem colunt? Nam quid ille commendat in primis ac præcipit suis sectatoribus? quibus institutis ac legibus nititur Religio tota, quam tradidit, & communem omnibus pioque cultu servandam edixit? Nihil hæc occultum continet, nihil per ambages, aut cum fuco loquitur. Palam est, & in ipsis Christianorum expressum moribus, quodcumque profitetur ac prædicat. At illa, si nescis, fidelè ac nativam suis in Principibus Dei præpotentis imaginem agnoscit; singularem iisdem cultum ac reverentiam, sincerum amorem, devotissimum obsequium jubet exhiberi; pro iis tuendis quodlibet adiri periculum, sanguinem ac vitam profundi imperat. An ergo nefaria legitimum in Principem consilia meditentur, quibus ipsa Religio præcipit, moderatores suos sinceris animorum studiis demereri?

Illi, illi scelerata moveant in Imperatores arma, quos religio nulla retinet, quos una sollicitat ambitio, incendit avaritia, regnandi libido per omne flagitium rapit ac præcipitat: qui nullas leges agnoscunt, nullam dominationem reverentur, cum vio-

lari jus potest impune, neque ulla sceleris pœna nocentes expectat. Ac qui expressam suis in Imperatoribus sui ipsorum Dei similitudinem venerantur, qui eisdem proprio capitis periculo totiusque effusione sanguinis, nisi Religionem suam abnegent, debent tueri; qui fortunas, dignitates, vitam ipsam nullo ponunt in loco; illi Neronis in caput, in salutem conjurent? Non cadit gentem in istam tam detestabile facinus, neque Christianorum instituta sceleris hujus vel umbram patiuntur.

Nam quid simile auditum unquam de ipsis est? quis nefarias molitiones, turbas, seditiones, tumultus exprobrat? quam habuisse partem in variis civium nostrorum totiusque Italiae motibus arguuntur? Exfurgant illi, quotquot sunt Christiani nominis accusatores, & in ipsorum moribus vivendique consuetudine quid reprehendant, quod habere affinitatem cum Perduellione videri possit. Nam quis eos Perduelles putet, aut ad inferendam injuriam comparatos, qui laudem pro contumelia, pro odio amorem, beneficia pro suppliciis, preces & vota pro cruenta morte rependunt? Patere, Princeps æquissime, ut cum ea, quam debeo Imperatori meo, reverentia, ad tuum ipsius testimonium appellem; nosti enim verò & tuis ipse usurpatis oculis, quam dociles illi animos moderatores suis afferant, quam patientes in laboribus, quam constantes in cruciatibus perferendis, quam parum cupidi retinendæ vitæ, quoties Religionis causa postulat, aut patriæ salutis Imperatorumque iusta repositum. Sed quid ego diutius immoror in ea confutanda calumnia, quæ nullis nixa fundamentis ruit ex sese ac subvertitur? Sit ita sanè, uti accusatores imperiti clamitant: hoc informa-

re.

A Repugnantibus.

A Definitione per Effecta.

A Dissimili.

A Simili.

A Contrariis.

Ab exemplis.

A Repugnantibus.

re animo tam detestabile consilium Christiani potuerint, habuerint illi conjurandi in patriam & in Imperatorem ipsum voluntatem; quibus tandem rationibus meditarum scelus exequerentur? quas illi copias, quos exercitus, quas facultates habent? Quibus se tueantur armis, quibus Ducibus in aciem prodeant, quas urbes ad defensionem, quæ propugnacula nobis ostentet Christianorum

paucitas ex plebeculæ quisquiliis ac colluvie fermè congregata?

Ah! cave, Princeps æquissime, ne, si gentem innoxiam persecutis ulterius, præter commune odium nihil quidquam reportes; & dum populi tuæque securitati videris allaborare, non apud Romanos modò, sed etiam apud universum orbem crudelitatis ac sævitiae famam incurras.

A Consequenti-  
bus.

## LIBER TERTIUS.

### De Figuris seu de Elocutionis dignitate.

VERTITUR totum Artis Oratoriae momentum in hoc Libro; qui de Figuris inscribitur. Cum enim Artis Oratoriae seu potius Rhetoricæ sit finis aptè ornateque dicere ad persuadendum; nulla ratione perveniri securius potest ad propositum exitum, quam scientia & artificio Figurarum aliorumque Orationis ornamentorum, in quibus tota dicendi vis ac majestas posita est.

Figura porro apud Rhetores nihil est aliud, quam Orationis ornatus, seu sermonis conformatio à communi ratione dicendi remota; in quo differt à Tropo, qui Orationis ornatus est, per quem sensus alicujus verbi aut sententiæ proprius ad alium sensum deducitur.

Igitur Elocutionis ornamentum ac dignitas in Tropis & Figuris versatur & consistit; &, quemadmodum sunt Figuræ quædam verborum, quædam sententiarum, ita Tropi alii verborum, alii sententiarum nuncupantur.

### CAPUT PRIMUM.

De Tropis, ac de iis primum qui in uno verbo positi sunt.

Quid est Tropus?

R. Est Verbi vel Orationis à propria significatione, ad aliam cum aliqua virtute ac dignitate Translatio. Hoc ipsa vox indicat. Tropus enim dicitur à verbo *τροπος*, id est convertò, sive immuto.

Quot sunt in uno verbo Troporum genera?

R. Septem vulgò recensentur. Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Catachresis, Antonomasia, Onomatopeja, Metalepsis.

Quid est Metaphora?

R. Est Translatio verbi à propria significatione ad aliam cum aliqua similitudine. Verbi gratia, cum quis dicitur incensus ira, inflammatus cupiditate, lapsus errore: sic & dicitur lumen Orationis, generis claritas, gloriæ seges, concionum procellæ, virtutum concentus: quæ omnia simi-

litu-

litudinem habent aliquam cum iis rebus à quibus denominantur.

Quis esse debet usus Metaphoræ?

R. Cavendum esse, ne sit frequentior, ne inverecundus, ne apud Oratores tam audax, quam apud Poetas, ne Metaphora producat nova, quæ auctorem bonum non habeat.

Quid est Synecdoche?

R. Est Tropus, in quo totum pro parte, vel pars pro toto sumitur; vel ex antecedentibus consequentia intelliguntur. Ita totum pro parte sumpsit Virgilius, cum dicit, *fontemque ignemque ferebant*. Hoc est aquam è fonte, carbones ex igne decerptos. Partem pro toto, cum pro navi puppim usurpat. Consequentia verò ex antecedentibus intelliguntur, ut si quis dicat, *jam boves ab agricolis reducuntur domum*, pro nox adest.

Quid est Metonymia?

R. Est Tropus, qui causam per effecta, vel effecta per causam, vel id quod continet pro eo quod continetur, vel rem è signo declarat, verbi gratia: *Dona laborata Cereris*, pro frumentum in panem redactum, est exemplum Metonymiæ, quæ per causam effecta designat, quia Ceres inventrix frumenti dicitur. *Scelus & sacrilegium deprehensum est*, id est scelestus & sacrilegus. Hic causa per effecta declaratur: id verò quod continet pro eo quod continetur, ut *lectitare Platonem*, pro lectitare Platonis opera; Denique signum pro re significata sumitur, ut si quis bellum per *arma*, pacem per *togam* indicet.

Quid est Catachresis?

R. Est Tropus, qui verbo simili aut propinquo, pro certo ac proprio utitur. v. g. cum *Parricidam* appellamus eum qui matrem interfecit; quod ipsa vox Catachresis innuit, significat enim ab usum quemdam,

Quid est Antonomasia, sive Pro-nominatio?

R. Est Tropus, qui pro nomine ipso, aliquid æquivalens nomini, aut etiam significantius substituit; ut cum dicitur *Everfor Carthaginis*, pro Scipione, *Asia domitor*, pro Alexandro, *Orator*, pro Cicero.

Quid est Onomatopeja?

R. Est fictio vocis ad rem significatam nativa aliqua sui soni similitudine accedentis, ut *magitus*, *boatus*, *sibilus*, & similia.

Quid est Metalepsis, sive Transumptio?

R. Est Tropus, quo ex alio, ad aliud veluti per gradus ascenditur, ut cum dixit Virgilius, *Post aliquot mea regna videns mirabor aristas*, id est post aliquot annos; nam ex aristas spicas & segetes, ex segetibus ætates, & ex ætate annos intelligimus.

## CAPUT II.

De Tropis qui in Oratione, hoc est, in pluribus verbis fiunt.

Quot sunt Tropi in Oratione, sive in pluribus verbis?

R. Quatuor. Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole: quibus addi potest Ironia.

Quid est Allegoria, sive Inversio?

R. Est Tropus, quo aliud verbis, aliud sensu ostenditur, ut pro Milone n. 5. *Equidem ceteras tempestates ac procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas*. Ubi per tempestates ac procellas, significat perturbationes ac tumultus, quibus Milo obnoxius fuerat.

Habes alia Allegoriæ exempla apud Ciceronem pro Marcello nu. 4. in Pilo.